



29.

DEO BENEDICENTE,

&

Nobilissimo Jctorum ordine annuente,

THE CAS SELE-
CTIORUM DE JU-
RISDICTIONE QVÆ-
STIONUM

Succurrente

Viro Magnifico & Jurisconsultissimo

DN. QVIRINO Schacher / Anteces-
fore celeberrimo, Potentissimo Saxon. Octoviro,
ab Appellat. Consiliis, Consistorii Eccles. Lips. Adsess.
gravissimo, nec non Facult. Juridicæ Seniore meritissimo &c.
Patrono observanter colendo,

conficiente

GOTHRIDO ERICO BERLICHIO
LIPSIENS.

*publicè in Almâ Patriâ exponebatur d. 16. Au-
gusti, Anno M. DC. LV.*

Typis RITZSCHIANIS.

Joh. Schacher

SE gratum quicumq; cupit præstare Parenti
 Natus, collata hîc ob benefacta sibi,
 Non illud meliùs poterit patrare, Paternam,
 Quàm si virtutem comparet Arte sibi;
 Tu quoqve Berlichi, magnâ nunc laude patrissas,
 Agnati & mores induis ipse graves,
 Publica conscendis dum pulpita; nobile signum
 Quod patrissantis sedulitatis adest.
 Gratulor ex animô, gnavus sic pergere perge,
 Donec ad instantem perveniasqve scopum;
 Perge viâ hâc; Artem & Matris quam lacte bibisti,
 Exerce, dum par sis quoqve cuncta Patri.

*Johannes Michaël, Pb. & Med. D.
 P. P. Facult. Decanus, Archiater
 Saxo-Altenb. Acad. p. t. Rector.*

FOetus Berlichi tua, Jurisdictio quid sit,
 Edocet ingenii, Te decet ergò decus.
 Te Patris exstimulant laudes, non desinis ergò
 Bellerophontéo fonte rigare labra
 Maeste animi, tua sic Virtus erit æmula quondam
 Patris, si cœptum continuabis iter.

gratulab.
 Quirinus Schacher / D.
 Præses.

EXimia est Virtus, MAGNI PATRIS ORNAMENTUM,
 BERLICHII, Patrum candida signa sequi.
 Nam labor istorum tantus, quo tempore nullo
 Ex merito possit laudibus evahier.

(†)

Mœo-

Mœonius licet ipse Pater, licet & Maro surgat,
 Illorum laudes, non tamen ipse canet.
 Tu, pariter patrum vestigia docta reponis,
 Dum scribes quidnam DICTIO JURIS erit.
 Perge, præit magno Tibi Lipsia nostra favore,
 Et Lauri emeritâ cinget Apollo comam.

Pereximio Dn. Disputanti Affini & Com-
 patri suo pl. dilecto gratulab. adpl.

Franciscus Romanus, J. U. D.
 Prof. Publ. Sup. Cur. Provinc. &
 Facult. Jur. Assessor.

Ad Cl. & Juris-Prudentis. Dn. de Jurisdi-
 ctione publicè Respondentem.

Cui non dictus Hylas? BERLICHIIUS antè volabat
 Legicrepûm solus cuncta per ora virum;
 Quàm mox Sceptra Fori CARPZOVIIUS unus haberet
 Perq; Scabinatus, perq; Lycæa simul.
 Non tamen abstiterat subito BERLICHIA Virtus,
 Cui Patruusqve, Parens institit usq; vie.
 Nec minus Illustris fuerat BERLICHIIUS Alter,
 Quæq; tot iste Libris, hæc dedit ille nuce.
 Vidit id ELECTOR: proluxa volumina & Acta
 Scrinxerit hinc melius, Noster hic, infir, erit!
 Iusta quidem facere & jus reddere Principis Aulâ
 Est satius, quàm jus differere usq; Scholâ.
 Sæpè novercatur Jus, nî Ducis aura secundet;
 Intimus huic factus, fassus ut illa fuit
 Fassus & illa fuit CARPZOVIIUS Ipse, relictâ
 Proq; Schola PATRI se PATRIÆ applicuit;
 Ipse,

*Ipsè Pater Patriæ per secula doctâ futurus,
Aulâ qui maneat JUSTUS, ut antè Scholâ.
Tertius intereâ BERLICHIIUS Orbitam eandem
CARPZOVI sequitur, quò stetit ille, locò.
Tu nec abes longè, BERLICHII Quarte, premendo
CARPZOVI atq; Patris, tum Patruelis iter.
Perge! ita PISTORES BERLICHIA Tetras adæquet;
Ceu CARPZOVI eos Juridicina prius.*

*Ita benè ominabatur,
Familiæ utriq; Nob. nec unquam
Satis laudatæ devinctissimus*

AN. RIVINUS, Ph. & Med. D.
ac P. P. C. P. Cæs. Collegii Princ.
Sub-Senior & Acad. Lips. X. Vir.

Ad

Clarissimum, Consultissimumq;ve

DN. GODOFREDUM ERICUM BER-
LICHIIUM, J. U. Candidatum dignissimum, h. t.
inclytæ Reipubl. Lipsiensis Senatorem maximè specta-
bilem, Dn. Affinem & Fautorem honora-
tissimum,

Quò publicè de Jurisdictione Lipsiæ disputaret.

Fallor nisi, decurrit annus octavus,
Dedit quòd artes Leucoris Tibi multas,
Amice plurimùm colende, quas omnes
Haussisse Te fideliter professi sunt.

(†) 2

Com-

Commilitones. Sed tua in dolis tali
 Culturâ erat contenta ne utiqvam; majus
 Cupiebat augmentum. Unde Leucori missâ
 Profectus Argentinam es, & parem laudem
 Sagacis hinc industriæ reportasti:
 Ab omnibus dilecta comitas morum,
 Vehementer est, sincerioris & candor
 Fidei. Politicamqve disceres rectè,
 Non ex libris tantum, videre sed possis
 Præfens, Rei qvî publicæ status mirè
 Variet; qvid illum servet, & qvid evertat.
 Rursus, feraces Gallias pererrasti
 Spectator haud vanus, sed antè cui dextrè
 Ingenia terrarumqve gentiumqve hauista
 Erant. Præest si publicæ rei tali
 Ratione doctus vir, nisi secunda huic fors
 Aliud venire nil potest. Amor tandem
 Patriæ trahebat Lipsiam offerentem ultrò
 Tibi, Amice sancte, mox amplissimum munus,
 Qvòd meruit improbus tuus labor dudum,
 Qvem passus, artibus bonis probè excultis.
 Nunc disputas de nobili admodum juris
 Materiâ, ut indices senescere haud unquam
 Studium, sacratum qvòd semel fuit Musis,
 Patriqve magno gaudium excites dulce,
 Qvi spes locavit usqve divites in te.
 Cui Filium sublimis indolis jure,
 Gratulor, Jöva faxit, ut sit æterna hæc
 Felicitas, rectè sibimet & constans.
 Sed perge porrò publicare conatus

Lauda-

Laudabiles, Amice maximè care,
Sic fama crescet ind.es sat illustris.

Dresdâ transmittit
M. Christianus Laurentius, Dresd.
S. S. Theol. Cultor.

Ad Clarissimum atq; Prudentissimum
Dn. Respondentem, Fautorem & Affi-
nem suum honorandum.

Berlichium quis non laudet, vestigia clari
Dum celebrata refert ingeniumq; Patris.
Nam Themidos studium didicit benè more Parentis,
Testatur specimen, quod dedit, eximium:
Artem & doctrinam testatur patria. Pergat
Berlichius, Patriæ commoda mille ferat.
Multa loquor paucis: Pergat, Patremq; sequatur
Amplius, & studio & vincat honore, precor.

M. Johannes Christoph. Hilscher,
Lipsiens.

Non solum Hesperiam iustrasti & Gallica rura;
Sed quoque Pierias non sine laude domus.
Argentina diu docuit Te, Leucoris Alma,
Te blandè coluit, Te Philyræa fovet,
Jam verò fructus studiorum, Fautor amande,
Profers laudandos, signaq; clara facis.

Gra-

Gratulor hisce tuis coeptis & Nestoris annos
Apprecor, ut vivas, exsuperesqve Patrem.

M. Christianus Hilscherus.

IN castris Themidos nunquam sumfisse labores
Pœnitet, & nescit deseruisse Dice.

Hoc tua Berlichl nunc Jurisdictione dicit,

Inter quam tradis Lipsiacos Proceres.

Felix perge diu præmagnæ nate Parente,

Ut Juris studii præmia digna feras;

Sic pater Æneas & avunculus excitet Hector

Te, donec tibi par, gloria parta fiet.

M. Joh. Augustin. Egenolphus.

Chronodistich. serò missum

SIt tVVshlCaVsVs, BerLICHl, eXasse beatVs,
InDeqVe sVCCeDant CLara brabea! faVe!

In honorem Clariss. Nobiliss. Dn. Dispu-
tantis hæc pauca gratulabundus
adjecit

Martinus Herzog,
Lipsiâ Misn.

D.D.D.



D. D. D.

INTRODUCTIO.

Nobilissimam jurisdictionis materiam ceteris
 jurisprudentiæ & difficiliorem existere pa-
 riter ac excellentiorem utilioremq̄, nemo est,
 qui inficias ibit. Difficultatem incomparabiles
 Jcti, qui non oscitanter & languidè in indagando
 jure navarunt operam, suâ propriâ experienciâ sa-
 tis superq̄ commonstrarunt, ut in tot voluminibus,
 tot operibus conscribendis juris Civilis claustra,
 Goveano teste, aperire tentarint plurimi, an non-
 nulli aperuerint, sub judice adhuc lis sit. Decimum
 tertium proindè Herculis laborem constanter ac in-
 trepido, nec perturbato spiritu aggressi sunt. Ac
 quis non primo intuitu hujusmodi spinis ac vepri-
 bus quasi obsitam materiam perlustrans, obstupe-
 scet tanquam ad objectum ipsissimum Gorgonis ca-
 put? Quam obrem celeberrimus omnis ingenii atq̄
 Eruditionis princeps Jctorum & de jure Saxonico
 excellentissimè meritus Dominus Carpzovius, Pa-
 tronus

A

tronus

tronus meus indulgentissimus ac reverenter colendus lib. 1. num. 5. Respons. Elector. 49. verissime: Non minus hodiernis moribus, quam jure veteri Romano Civili, Fctiois materiam in Pelago versari. Et Antonius Lescurius in hac gravissimâ ac præcipuâ juris parte omnes materias tanquam in suo domicilio suaviter delitescere & finem expectare, haud absurde statuit. Excellentiam & ex adverso Fctiois summam utilitatem quis non videt? Populus multorum bellua capitum, naturâ contumax, quâ ratione intra sana & rectæ mentis poterit contineri terminos, nisi per Fctionem? Hac unica Imperiorum regnorumq; corona, & firmissimus Atlas, cui universæ Reip. incolumitas & incrementum tuto committi potest. Hac unica facit, nè armata impietas plenis impudentiæ velis ad summum audaciæ perferatur gradum. Nec est omnino ullus auctor vel scriptor, in quo non longè latèq; hujus unius sint diffusæ & disseminatæ laudes. Et haud immerito. Quælis enim omnium rerum barbaries, & confusum quod antea fuit Chaos, sine hac non esset indubitato expectandum. Affirmare audacter quæo, illud imperium, illam provinciam, urbemq; etiamsi esset Babylone antiquior, Heliâ pulchrior,

chrior, Carthagine opulentior, Tyro amœnior, Byzantio fertilior, Camesanâ altior, Aquileiâ inexpugnabilior, Gadibus liberior, magis turrita quàm Capua, ac editiore loco sita quàm Canturia, exule Jctione, ad summam angustiam incitasq̃ certo certius ituram. Quibus omnibus ritè ponderatis, inter alias non contemnendas, hæc potissimùm exercitio publico digna visa fuit materia, ex qua pro ingenii imbecillitate nonnullas quæstiones in jure anticipites & dubias, erudito Auditorio mecum statui proponendas.

*Tu qui tecta colis superi prælustria regni
Alme pater, Te quem terra polusq̃ tremunt
hic ades, adspira cœptis!*

QVÆSTIO PRIMA.

AN IN DUBIO PRIVATIVE, AN CUMULATIVE, CONCESSA VIDEATUR JCTIO?

AD hujus thematis pleniorẽ enodationem ante omnia dispiciendum, quidnam veniat verbo cumulative & quid privative concessæ Jctionis. Doctores cumulative concedi dicunt Jurisdictionem, quando exerceri potest & à concedente, & ab eo cui commissa est:

A 2

priva-

privativè autem, quando exerceri potest solum ab accipiente Jctionem, non etiam à concedente. Ubi itaq; simpliciter concessa est Jctio, in dubio cumulativè non privativè concessam videri verius puto cum *Magnif. b. mem. agnato, Dn. Berlichio, p. 1. conclus. 2. n. 1. Muscorn. de Jctio. n. 34. & 35. Andr. Rauchbar. p. 1. quest. 13. n. 13. Mynsing. cent. 6. obs. 99. qui sic in Camera Imperiali conclusum fuisse ait.* Quæ sententia sequentibus rationibus solet defendi. Prima fundata est in *c. dudum de præbend. in 6.* Ubi Jctio concessa Ecclesiastico Magistratui, ita concessa censetur à Bonifacio Pontif. Octav. ut nihil minus in concedente suprema resideat potestas ac eminentia. Sed hoc est concedere Jctionem cumulativè, ut docent *Dd. Baldus in consil. 326. Jacob. Menoch. de arbitrar. Jud. quest. 40. n. 1. & 2. & manifestè Gram. in decis. 30. n. 3. & 11. & post decis. in consil. 2.* Secunda est, quod in generali sermone non comprehendatur persona concedentis vel loquentis *L. inquisitio 18. C. de solut. cap. 1. ubi gl. de prohib. Feud. alien. Curt. Jun. consil. 332. n. 4. & latè Surd. consil. 47. n. 19. ubi scribit, generale rescriptum nunquam ligare principem concedentem.* Ergò princeps concedens alicui Jctionem, semper suam sibi soli competentem immediatè concessione istâ excipere voluisse præsumitur. Dicitur enim persona excepta, ne sibi Legem videatur imponere. *L. ult. c. d. LL.* Ac nemo tam stolidus est præsumendus, ut alii benefaciendo semetipsum consumere velit. Sed Jctione cumulativè concessa auctoritas & Superioris splendor semper permanet illæsus. *Obrecht. L. 3. de Jctio. cap. 1.*

Reli-

Reliquas rationes, quas Dd. pro hac sententia accumulunt, consultò silentii sipario involvo & ad contraria pergo. Objiciunt *L. 3. ff. de constit. princ. beneficium Principis plenissimè esse interpretandum. At si Princeps alicui concedit Jctionem, tribuit ei beneficium, Ergò illud privativè & plenissimè est interpretandum. Pro cuius dubii enodatione dico. Beneficia Principis tunc demum esse plenissimè interpretanda, quando voluntati ejus non adversantur, qui non credendus à jure communi, quod in omni loqvella personam loqvantis excipere videtur, temere recedere voluisse, ut d. *L. 3. declarant Jason in L. cent. 6. in fin. ff. de vulgar. & pupillar. Substit. Hillig. ad Donnell. lib. 1. c. 15. lit. E.* Experientià quoq; rerum sublunarium magistrâ satis superq; edocemur, Principes immunitates, privilegia, statuta, & alia beneficia, inferioribus indulgentes, cumulativè non privativè concedere, hâc ut plurimū adjectâ formulâ: *Jedoch Uns/Unsern Erben und Nachkommen/an Unsern hohen Regalien, Rechten und Gerechtigkeiten/so wohl auch sonsten männiglichen an seinen Rechten unschädlich.* Talia sancta tam ab Augustissimo Imperatore, quam nostro Potentissimo Saxon. Electore, concessa Rescripta, hâc clausulâ additâ, extant permulta, quæ allegare frustraneam hîc operam duco. Excipio tamen Jctionem alicui in Feudum concessam, quam privativè datam intelligi puto cum *Menoch. 2. præsumpt. 18. n. 5. Moll. lib. 4. semestr. cap. 46. Wesenb. consil. 95. num. 25.* Feudum enim instar ususfructus obtinet. Feudorum autem ususfructus ad ususfructuarium, non verò*

A 3

ad pro-

ad proprietarium spectat, quod in vindicando præ-
 dio feudali Vasallus Domino præferatur, arg. *L. 1. §. 1.*
L. 2. L. 3. ff. Si ager vectigal. Wesenb. consil. 95. n. 27. Coler. de
process. executiv. part. 2. cap. 1. n. 132. Myns. obs. 99. cent. 6.
 Plures fallentias vide apud *Berlich. p. 1. conclus. 2. num. 3.*
4. 5. & seq. & Magnif. Carpz. lib. 2. Respons. Elector. lit. 2.
resp. 11. n. 13. 14.

QVÆSTIO II.

AN JCTIO INTER REGALIA RE-
 FERRI POSSIT?

HÆc an inter Regalia referri possit nec ne, Docto-
 res ambigunt. Communis eorum opinio est,
 quod, quia omnes Magistratus inferiores ab Impera-
 toris Jctione dependeant, & hæc à causa principali
 vel essentiali, Imperatore scil. tanquam vivo & per-
 enni fonte fluat per investituram & commissiones,
 refluat per avocationes, supplicationes, Jctionem
 omnimodo Regalibus rectè annumerari. *per text. in*
tit. de Regal. 2. Feud. 56. ibi: potestas constituendorum
Magistratum. Qui enim Magistratum constituit
 ad justitiam expediendam, ille simul eidem Magi-
 stratui Jctionem concedit, sine quâ justitia expediri
 non potest. *Bocer. de regal. cap. 2. num. 247. Godefr. An-*
ton. Feudal. disp. 3. th. 6. lit. A. Roll. à Valle consil. 1. & 42.
num. 5. vol. 2. Vult. lib. 1. d. Feud. cap. 5. num. 7. pag. 90. Ro-
senth. de feud. cap. 5. conclus. 4. Imò si fructus Jctionis,
 mulctarum nempe poenarumque compendia ad re-
 galia referuntur *lib. 2. Feudor. 56.* Cur ipsam Jctionem,
 quæ

quæ tanquam arbor prolifica hos fructus proferre solet, ex eorū catalogo eliminemus, cum ea omnium Regalium sit radix & fundamentum, teste *Obrecht. Tract. de Jctio. 17. 56.* Nec movet dictos Doctores argumentum *Alciati in c. quod sedem, num. 38. ff. de off. ord.* quod Jctione generaliter concessâ, simul concessum videatur merum imperium, cum tamen regalia non veniant in sermone generali, sed specialem requirant concessionem. Regalia tunc requirere specialem concessionem, quando à concedente nulla fit mentio regalium, verum quando unius regalis in genere fit mentio, tunc in sermone generali utiqve omnes illius regalis species contineri nemo dubitat, idemqve operari ac si singulæ species essent expressæ. *L. Sichorus ff. de Legat. 3. Alex. lib. 6. cons. 233. num. 16. August. Barbos. axiom. usufr. cap. 106. num. 1.*

QVÆSTIO III.

AN IMPERIUM MERUM ET MIXTUM SUB JCTIONE IN GENERE AC- CEPTA CONTINEANTUR?

SI Jctionem tanquam genus generalissimum accipiamus, tunc merum & mixtum Imperium sub appellatione ejus continetur non solum ex *Rubr. ff. de Jctio. verum etiam ex L. ult. ff. de offic. ejus junct. L. 1. ff. eod. L. 7. §. final. L. 8. d. officio Proconsul.* sufficientissimè patet. Unde meo judiciò rectissimè tenent, qui jurisdictione simpliciter & in genere concessâ, tam
merum

merum quàm mixtum imperium concessum videri docuerunt, inter quos eminent *Barth. in L. 3. D. de Jctio. Vult. in Jurisprud. Rom. lib. 1. cap. 12. num. 3. Scipio Gentil. de Jctio. cap. 2. lib. 1. Henricus Bocerus de Jct. cap. 2. num. 2. Wesenbec. consil. 95. num. 20. & 30. vol. 2. & qui plures congestit Wehnerus in thesauro pratico sub voce Gerichte §. nostro Germanorum stylo p. m. 218. Jctio namq; tanquam res omnimoda (quo elogio honoratur in *Clem. Unic. X. de foro compet.*) comprehendit sub se totum dicentis jus, seu Magistrat^o officium, quod latissimum esse dicitur in *L. 1. ff. de Jct.* adeoque non ad causas Civiles tantum, sed & criminales sese extendit. Unde *Paulus de Castro consil. 134. colum. 3. in princip.* tradit nomen Jctionis esse nomen generale, comprehendens merum & mixtum imperium tanquam species, juxta plenè not. in *L. imperium & gloss. in §. nulla in authent. de defens. Civit.* & hanc sententiam apud omnes receptam dicit *Jason. in d. l. imperium colum. 6. in fin.* ac in nostro forò *Magnif. Dn. Carpzov. in prax. Crimin. part. 3. quæst. 109. num. 89.* ubi præjudicium subnectit. Dissentiunt quidem *Knich. de Vestitur. part. 2. cap. 1. num. 58. Cujac. 15. obs. 39. & 21. Obrecht. lib. 1. de jurisdic. cap. 3. num. 40.* negantes imperium Jctioni inesse, ac Jctum nullum esse, qui imperium ex propria sua naturâ Jctioni tanquam generi adstruere sit conatus, quorum rationes vel hoc solò argumentò possunt refelli; Quicquid alicui, ut adjunctum inest, illud ab eò sine ejus corruptione & interitu abesse non potest: Sed Jctio imperio immediatè inest. E. ab eò sine ejus interitu vel corruptione abesse nequit,*

qvit, ut rectissimè scripserit *Franskius in comm. ad ff. n. 3.*
 Si merum imperium sub Jctionis vocabulò non
 continetur, nullam esse dubitationem *Papiniani in*
L. i. ff. de off. ejus, an mandata Jctione per Magistra-
 tum, merum transeat imperium.

QVÆSTIO IV.

MANDATAM, JURISDICTIONEM
 QVI HABET, AN PROPRIUM
 QUID HABEAT?

Cum Magistratus occupationibus publicis &
 multitudine arduorum negotiorum impediti
 omnibus sufficere haud poterint. *Nov. 26, cap. 1.* re-
 ceptum more fuit, ut officium juridicendi aliis, qui
 partibus eorum fungerentur, mandarent. *L. more. 5.*
 & *L. seq. 6. L. solet. 16. & L. 17. ff. de Jction. L. 1. de off. ejus*
cui mandat. ff. Mandare verò est alicui aliquid geren-
 dum exequendumq; committere. Mandatarium
 proprium quid habere negat *Donell. 17. Com. 8. sub fin.*
Cujac. 7. observ. 21. ut & *L. i. §. 1. de off. ejus cui mandata est*
ff. Sed distingvendum venit mandatum. Est enim
 vel ordinarium, quod more usitato delegatur, vel
 extraordinarium, quod præter morem consvetum
 fit, ut quoties Proconsul actum aliquem Jctionis cri-
 minalis, institutionem nempe processus, sine pro-
 nunciacione sententiæ legato suo mandat *L. sol. 6. pr.*
ff. de off. Proc. & Leg. Illud iterum totale seu universale

B

L. 16.

L. 16. cum L. seq. de Jct. Quod vel est simpliciter tale, ut quando officium dicentis jus totum mandatur, *L. 1. §. 4. ff. de susp. tut. L. 4. de off. ejus cui mand. Jct.* vel secundum quid, cum delegatur Jctio tota, imperiumque illi annexum de tota causa in plures personas vel inter omnes personas in territorio *L. 11. ff. de Jct.* Et sic universalem Jctionem adeoque proprium quid mandatarium habere, dubium nullum est. Secus vero si speciale & particulare mandatum sit in certas personas vel de una causa & lite *L. 16. L. 17. ff. de Jct.*

QVÆSTIO V.

INFANS REPERTUS IN LOCO, UBI
HUIUS SUPERIOR, ALTERI INFERIOR
JURISDICTIO COMPETIT, SI NESCIATUR,
A QVO EXPOSITUS, UTRIVS
ILLORUM CURATIO, ET EDUCA-
TIO EJUS SIT?

Jurisdictionem variam ac multiplicem Dd. de jure communi uno ferme calamo statuunt. Faciunt namque Ecclesiasticam & secularem: Civilem & Criminalem, quas duas Jctionis species esse ac ad has accommodatissime referri posse affirmat *Obrecht, Tract. de Jct. lib. 2. c. 2.* Ordinariam & extraordinariam per *L. cum Prætor 12. §. 1. ff. de off. Procons. L. 1. ff. de Jct. L. 3. ff. de postul. L. 8. in pr. & §. 18. ff. de transact.* Propriam
vel

vel principalem, & non propriam seu minus princi-
 palem *Vult. Lib. 1. Jur. Rom. cap. 12. Mandatam ext.*
de offic. delegat. prorogata L. 1. ff. de jud. L. si convenerit
ff. & L. 1. C. h. tit. Voluntariam & contentiosam L. 2.
18. ff. de off. Procons. Et hæc quidem ex sententia Jur.
 Civil. ita se habent; Jure verò nostro Saxonico nul-
 lam aliam agnoscimus præter superiorem vel altam,
 Obergericht/ ad quam criminalia facta, hohe Brüche/
 welcher Straffe Hals- Hand- oder andere Leibesstraffen/
 Mord/ Zetergeschrey/ offene Wunden / Hausfried bre-
 chē/ Thür oder Fenster freventlicher Weise beschädigen/ &c.
 referuntur; & inferiorem seu bassam Niedgerichte/
 cui Civilia als Haar-rauffen/ vulnera, quæ non sunt
 lethalia, daraus keine Wunde wird/ braun und blau/ und
 alle Bürgerliche Sachen/ als Schulden/ Gülde/ Schaz-
 den/ Pfändung/ annumerantur, de quibus plura in
Sanct. Ordinat. Illustriss. fratrum, & Saxon. Elector. Mau-
ritii & Augusti, v. Magnif. Dn. Carpozovium part. 1. const. 29.
d. 17. pag. 4. c. 4. d. 10. num. 3. 4. Dn. Berlichium prolixè p. 1.
conclus. 1. num. 10. & II. Knich. de privil. Saxon. cap. 5. n. 21.
& de jure territorii, cap. 4. num. 213. Treutl. d. 3. v. 1. thes. 1.
lit. E. Zobel. part. 1. diff. 9. num. 4. Hac in quæstio-
 ne non desunt, qui à contrariâ parte stant, adeoque
 ad infantis expositi alimoniam & educationem sus-
 cipiendam, non superiori, sed inferiori tradunt pal-
 mam. Alii Ecclesiæ educationis munus incumbere
 existimant, inter quos est *Jacobin. de S. Georgio in L. ab-*
sens hæres 19. §. si quis tutelam 1. ff. de judic. n. 41. Panorm.
c. 1. num. 3. ext. de infant. & langvid. exposit. Thesaur.
 verò *Decis. Pedem. 18.* ad totam communitatem istius
 loci,

loci, ubi expositus infans est, refert, nititurq; aucto-
 ritate *Novell. Just.* 153. ubi Sacratiss. Imperator Thes-
 salonicensium Archiepiscopum & sub ipso totam
 constitutam Ecclesiam opem ferre jubet infantibus
 expositis, quod Thesaurus sic explicat, omnem fi-
 delium congregationem tam laicorum quam Cleri-
 corum & ipsum Magistratum laicum, cum etiam
 Præfecto præcipiat, ut ipsis opem ferat. Sed hujus-
 modi argumenta non movent, etiamsi enim causa
 alimonie & curationis infantis expositi per se cri-
 minalis non sit, tamen à crimine expositionis ori-
 tur, quod iudex superior *der Ober-Richter* regulariter
 solet punire, prout hanc quæstionem resolvit *No-*
bilis, Dn. Carpzov. p. 1. prax. Crim. quæst. 10. num. 25. Dn.
Berlich. p. 1. conclus. pr. 1. num. 12. Daniel Möller. 4. semestr.
45. Zobel. in addit. ad art. 17. fin. Landrecht lib. 1. cum qui-
bus consentit Sigismund. Finckelthaus. Observ. pract. 86.
Quæst. 3. Ubi hanc sententiam duobus inlytæ Facul-
tatis Juridicæ præjudiciis confirmat.

QVÆSTIO VI.

AN PRÆSCRIPTIONE ACQVIRAT-
 TUR FCTIO?

Nonnulli negativam defendunt, quod nec in
 commercio, nec in bonis cujusquam sit Fctio,
 sed Reip. tantum, *Paurm. 1. de Fction. 23. num. 6.* aut pri-
 vatus sit, qui præscribat, aut Magistratus, hic suâ &
 propriâ auctoritate exequi nullô modô possit *arg.*
L. 3. ad L. Jul. Majest. Ille, quia officia cujusvis Magi-
 stratus:

stratus erant distincta & determinata, non potest alter alterius officium adeoq; Jctionē sine summæ potestatis permisso invadere *Bach. ad Treutl. d. 3. th. 1. lit. C.* Sed affirmantiū opinioni communis Dd. schola subscribit teste *Jafone in L. 3. n. 20. de Jction. Heinr. Boc. disp. 10. de Jction. th. 62. Balbo de præscr. p. 5. q. 1. eamq; probari textibus L. viros. 8. C. de divers. off. l. 12. L. ult. C. de emanc. liber. c. cum contingat X. de foro compet. ubi Abbas dicit, alibi melius probari non posse. Et quidem si cohæreat territorio, sufficere tantum temporis spatium, quantum sufficit ad territorium acqvirendum, inter præfentes decennium, inter absentes vicennium, tanquam rei immobilis pr. r. de usucap. absq;ve territorio requiri tempus longissimum, tanquam rei incorporalis 30. vel 40. annis, nonnulli centum requirunt, ut putat *Covarr. ad c. possessor. p. 2. §. 3.* Hic saltem advertendum, tantum præscriptum censerī, quantum possessum per exercitium Jctionis. *Magnif. Dn. Carpzov. p. 2. const. 3. definit. 23. num. 5.**

QVÆSTIO VII.

DELICTO IN DUORUM CONFINIO,
auf der Gränze/COMMISSO, CU-
JUS SIT JCTIONIS?

Quidam statuunt eum, qui prim^o veniens, cada-
ver tollens judicialiter, portiunculam de ejus
corporis vel vestimenti parte (uti fieri solet Basiliæ,
Urbis Helvetiæ celeberrimæ, ubi in casu homicidii

B 3

portiun-

portiunculam de interfecto inferunt iudicio, quod
 defuncti personam repræsentat) in Jctio. crimina-
 lis tesseram auferat, Jctio. secundum illud tri-
 tum; qui potior tempore, potior jure, in solidum
 habere, utpote jure præventionis. Quam opinio-
 nem *Leipold. de concurs. Jct. quæst. 13.* nec non alii pro-
 bant. Nonnulli putant caput ad se trahere totius
 corporis jurisdictionem e. g. cujus territorium
 interfecti caput attingat. Alii ei jurisdic-
 tionem attribuunt, in cujus territorio cor tanquam ex-
 cellentissima vitæ sedes reperitur. Aliqui ad eum
 devolvunt, in cujus territorio pars corporis ima
 seu pedes jacent; in qua sententia post *Zang. de ex-
 cept. part. 1. cap. 1. num. 233.* *Petr. Theodor. in colleg. crimina-
 li disp. 4. thes. 3. tit. 13. residet Magnif. Carpzov. in prax. cri-
 min. p. 3. quæst. 110. n. 19.* quoniam in eo territorio, ubi
 interfectus stetit, delictum consummatum videtur,
 ibique suam accipit formam per quam dicitur esse
 delictum *arg. l. 9. §. 3. ff. ad exhibend.* quod verum est,
 nisi præsumptiones adsint, vulneratum, antequam
 caderet, territorii fines exiisse, vel etiam homicidam
 in territorio Mævii primò percussisse, mox in terri-
 torium Sempronii fugientem vulnerasse, quò casu
 utriusque territorii iudicem esse competentem pu-
 tat idem *Vir. maximus d. quæst. 110. num. 13.* Rarissimè
 scilicet contingit, ut interfectus sine ullâ commo-
 tione ac provolutione diem protinus obeat supre-
 mum, nec acceptò vulnere aliorum auxilia implo-
 ret. Unde non contemnendus *Zasius, qui num. ult. ff. Comm. divid. ad utrumque iudicem cognitionem sce-*
leris

feris spectare ait, motus Imperatorum exemplō, qui quando in dubiis hærent, nè alteri minus, alteri magis ab- & adjudicent, factâ divisione & invento aliquo medio rem definiunt. Et faciunt in hanc rem textus *L. 1. C. ubi de Crimin. ag. oport. L. 7. in fin. ff. de accus.* quibus utriqve Judici cognitionem & causæ definitionem competere docetur, cum de delicto agendum, ubi perpetratum. In dubiō autem in utroqve perpetratum censetur, maximè si cadaver amborum attingat territorium, sanguineqve signet.

QVÆSTIO VIII.

JCTIO AN PER ALLUVIONEM AUGERIVEL AMITTI POSSIT?

Occasione nuperrimæ inundationis aquarum quæ toti propemodum Europæ feralis extitit, de tempore videbatur nonnulla subicere de alluvione, hoc est, accessionis naturalis specie, seu impulsu fluminis ad ripam, quo paulatim alicujus fundo aliquid latenter, non evidenter, quod in incremento Insulæ aut alvei fit, accedit, ut quid accessisse animadverti nequeat, an nempe ejusmodi accessione, Jctio quoqve acquiratur? Elegans hæc controversia est, & inter Dd. variō conflictu examinata. *Jason in consil. 146. L. 2.* Jctio, inquit, esse potest sine territorio, & territorium sine Jctione, & aucto licet quantumcumqve territorio, non potest tamen Jctio illi necessariō non cohærens augeri, & *Hier. de monte in tract. de fin. regund. c. 24. n. 6.* tradit, Jus allu-

alluvionis non vindicare sibi locum in Jctione, hancqve communem esse sententiam, plurimosqve veterum Bart. nempè, Baldum, Socin. Cæpollam &c. ita sensisse addit, eamqve per totam Italiam servari: Cujus rei rationem hanc reddunt, quod Jctio de publico sit introducta, qvalia alluvione non mutari per *L. 38. ff. de acquirend. rer. dom.* Sicuti hunc textum ad longum inducit *Jason in dicto consil. 146.* & ferè pro unico suæ sententiæ fundamento proponit. Sed hoc ipsum, uti forsitan de Jctione, qvatenus jure Romanò sine territorio subsistit, speciem veri habet: Ita postquam hodiernò jure inter patrimonialia refertur *arg. tit. 1. §. & qvia, tit. 13. & seqq. Lib. 1. Feud.* & plerumqve territorio cohæret, secundum *Aug. Beroum quest. famil. 111. n. 2.* tanquam anima tota in corpore tota & tota in qualibet ejus parte, dubitari amplius non debet, eam jure alluvionis unà cum territorio augeri, exemplò usufructus, servitutumqve aliarum *L. 9. §. 4. ff. de usufr. L. si ager. 23. cum 1. seq. ff. quibus modis usufr. amitt. L. 3. §. 2. de aqu. quot. & astiv. L. si locus 14. ff. quemadmodum servit. amitt.* ab his namqve ad Jctionem bonum argumentum deduci ait *Bald. in L. data opera, C. de his qui accusar. non poss.* Unde *Baptista Aymus in tract. de alluv. lib. 2. c. 6. n. 43.* postquam hanc controversiam latisimè disputasset, tandem concludit, si unquam licuit à communi opinione in respondendo & judicando recedere, hinc justissimè licere, adeoqve territorium & Jctionem per alluvionem augeri & è contrariò latere fluminis quoqve diminui.

QVÆ-

QVÆSTIO IX.

QVI JURISDICTIONI PRÆEST, AN
SIBI ET SUIS JUS DICERE
POSSIT?

Communis Dd. opinio distingvit inter jus dicere & judicare. Jus Magistratus dicere dicitur, Prætor, vel ali⁹ similis, cum in causis privatis & primariis judici à se dato jus quoddam quasi constituit, formulâ juris præscriptâ & æqvitatîs, quam sequi cogitur, & à quâ in judicando recedere non possit. Judicare autem est nec jus dicere, nec Jctiõnem habere, sed tantum notionem, cognitionem, judicandi quæ facultatem *L. ait Prætor. ff. de re jud. Francisc. Duarenus Disp. Lib. 1. c. 53.* Reperiuntur, qui optime aliquem sibi jus dicere posse statuunt, moti cum primis exemplõ Herois Sigismundi, Caroli IV. Imperatoris Filii. Hic ad comitia tanquam Brandenburgensis Elector vocatus, cum Regiæ dignitatis gratiâ sententiam primus de nominando novõ Imperatore cogeretur, se ipsum nominavit, *Me, inquit, ego novi, alios non itidem, an æquè mecum imperio orbis terrarum digni sint, præsertim in tantõ rerum motu, quõ Italia quoquæ schismate ibi durante plurimum laborat v. Dubray. Lib. 22. histor. Bohem.* Nec minùs illos stringit Pontifex Johannes 23. (quem concilium Constantiense Diabolum incarnatum appellavit) qui interrogatus ut sententiam ferret, quem cuperet esse Pontificem: *Date mihi, respondisse ferunt. annales, Chlamydem & pallium,*

C

coro-

coronamq̄, & ego dabo Papæ futuro. Quibus traditis ipse pallium humeris suis imponens, Papa, inquit, sum. Sed respondendum, hujusmodi semetipfos eligentium exempla planè esse singularia, nec cujusvis electionem propriam esse recipiendam, talis enim omnimodo se ingerere & intrudere, quod suspicione non caret, meritò videtur. Quin & Legibus non exemplis judicandum esse monet Justin. in L. nemo 13. C. de sententiis & interlocutionibus. Quas si intueri lubet, inveniemus pro sententiâ negativâ, L. 10. ff. de fctio. L. ult. §. 2. sub f. C. ubi Senator, vel Clariss. L. un. C. Ne quis in suâ causâ, & ex interpretibus doctissimum Cujac. ad L. 77. ff. de judic. Pac. cent. 3. quæst. 31. Donell. 17. com. c. 26. Scilicet nemo potest sibi aut suis jus dicere L. 10. ff. de fctio. Sed judex suus esse non prohibetur. Ratio est, quia juris dicentis officium latissimum est, adeoq̄ve omnia ea complectitur, quæ in jure dicundo consistunt L. 1. ff. de fctio. Nec jus dicens adstringi solet certæ judicandi formæ, à quâ recedere non possit in suum & suorum emolumentum.

At cum judex secundum juris tenorem sibi à Magistratu præscriptum judicare jubetur, ne latum quidem ungvem à præscripto recedere potest. Proinde in filii negotio judicare non prohibetur pater. L. 77. de judic. sed jus dicere prohibetur L. 10. de fctio. Gov. ad h. tit. n. 12. Ubi quoq̄ve aliam subnectit rationem, quod nempe in ejus potestate, qui jus dicit, communes nostræ fortunæ sitæ sint, adeoq̄ve multò periculosius sit parenti in causâ filii jus dicere, quàm judicare, cum in hujus fortunam ac famam major

major sit jus dicentis, quàm judicantis potestas. Sic A. Fab. juris dicentis ait liberum esse arbitrium. Pedaneus judex formulæ adscriptus est, ex cujus præscripto invitatus etiam cogitur judicare.

QVÆSTIO X.

AN DOMINUS A SUBDITO SUO OFFENSUS SUPER OFFENSA ILLA IPSE COGNOSCERE POSSIT?

QVemadmodum Domino in subditos nimium sævienti, eosque ad insolitas operas, angarias & parangarias præstandas vi compellenti, à Superiori poenâ gravi mandatur, ne plus solito eos gravet, turpiter & flagitiosè mit ungemessen und täglichen Frohnen emungat & excruciet contr. *text. in L. cum Patronus & in S. fin. ff. de oper. libert. ac gravissimam poenam incurrant, quin imò ipsâ Jctione priventur, de quib. plur. Zas. singul. intellect. Lib. 1. c. 3. n. 70. Paris de Puteo in Tract. de Syndicat. Tit. de excessibus Principum. Lucas de Penna in L. si coloni 12. quest. C. de agricol. & censit.* Ita quoque ex adversò subditi debita servitia præstare tenentur, Dominisque permissum est contumaces ac refractarios punire, eorum bona capere, ac tantisper tenere, donec ad debitam reverentiam & sanam mentem reducantur. Contingit verò non rarò ut rapiantur in deteriores limites, unde Dominum super offensâ vel delictò illò ipsum,

tanquam in re sua propria cognoscere non posse probat *L. un. C. Ne quis in sua propr. caus. L. 10. ff. de fctio. Novel. 15. c. 5.* Sed distingvo inter Principes superiores, & inferiores Dominos. De inferioribus dicti text. loqvuntur, qui planè non possunt. Princeps verò supremus, cum ab eò ad superiorem appellari non possit, exceptò Rege Regū & Principe Principū, DEO nimirum, de offensis cognoscere potest *L. un. C. si quis Imper. maledix.* Quia hic Princeps non censetur aliquid gravius in delinquentem statuere, quàm delictum est, cum ipse sit justitiæ fons & origo. Qui tamen hodiè plerumqve causam aliis committere solet, ministris nempe & Consiliariis suis, remisò vel temperatò in hoc fidelitatis juramentò, ut nunc ferè est usitatum teste *Wesenb. in comm. Cod. d. ad L. un. C. Ne quis in sua*, quod mores nostri etiam in inferioribus iudicibus admisere, ut Nobiles & alii Magistratus subditos suos coërcere queant, modò causam coram Scabinis & jurato ad iudicium Notario tractent, poenamqve ex consilio Prudentum indicent. *Ord. process. lit. 2. Von Gerichts-Secret. §. Ob wir auch wohl geschehen lassen / p. 6. Dn. Carpz. Lib. 2. Resp. 14. n. 9. & 12.* Alii distingvunt inter offensas parvas seu leves & graviores seu atrociores.

QVÆSTIO XI.

TERRITORIO IN FEUDUM CONCESSO, AN ETIAM JURISDICTIO CASTRO COHÆRENS CONCESSA VIDEATUR?

Nobi-

Nobilitat hoc thema praxis quotidiana, & literæ
 investiturarum & instrumenta, ut vocant, em-
 ptionalia, in quæ toties hæc disputatio incidere so-
 let. Accidit Principem concedere & tradere castrum
 alicui dictum à casâ altâ vel strictâ, quod habitatio
 castri non debeat esse diffusa, ne multâ egeat custo-
 diâ, *Jacob. Andr. in c. si Civitas num. 2. de sent. excommu-
 nic. Lib. 6.* vel quod à murô cingatur, *Oldradus in con-
 sil. 12. n. 7.* non expressè additô Jctiois exercitio,
 quare ambigi solet, an & illud simul tradidisse cen-
 seatur. Non desunt qui putant Jctionem subsistere
 & separari, salvâ suâ substantiâ à castro seu prædiis,
 utpote cum quibus nihil commune habet, *Paul. Castr.
 cons. 57. videtur dicendum, lib. 2. & Alex. cons. 76. in casu & lite
 lib. 2.* imò posse territorium esse sine Jctione & Jctio-
 nē sine territorio tradunt *Bart. in L. 1. col. f. ff. de fdicton.
 Bald. in L. data opera, col. 10. ad fin. C. Qui accusar. non poss.
 Hart. Pist. qu. Feud. 42. n. 42. & seq. ex quô inferendū
 videbatur, venditô, vel in feudum concessô simpli-
 citer prædiô, Jctionem haud concessam videri. Sed
 communi Dd. opinioni aliter placet, quod conces-
 sô castrô, territorium & Jctio, quæ Castro annexa,
 sub Dominio disponentis, tempore concessionis,
 data videantur, & similiter Jctio, plenissimè *Di-
 dac. pract. quest. cap. 1. n. 10. colum. 8. vers. nona conclusio.
 Claud. Saisel. in L. imperium column. 4. §. Sed primum di-
 ctum,* & venditâ medietate castri censeatur etiam
 vendita Jctio eidem castro cohærens, *Roman. in consil.
 44. colum. final.* Hinc est, quod Castrô concessô ve-
 niant etiam molendina spectantia eò *Bald. in utramq̄**

part. c. 1. n. 2. de capit. qui cur. vendit. ubi quoque num. 5. docet, castro alicui à Principe donatò transferri in consequentiam merum & mixtum imperium, adeoque Jctiorem. Castrò siquidem concessò cum pertinentiis comprehenduntur omnia, quæ sunt in territorio Castri, ut Vasalli, Oppida, Præfecturæ, Pagi, nisi exemptio specialis probetur. *Dec. consil. 517. n. 9. incip. in sentent. Plur. Roland. à Valle consil. 42. n. 30. Vult. Lib. 1. de F. c. 5. n. 5. Rosenth. eodem. c. 5. conclus. 6. lit. A.* qui omnino affirmant. Sed in hoc casu distinguendum puto, an Jctio competat personæ, an verò cohæreat territorio & Castro. Posteriori casu non illò translata videtur. Rationem rationis v. a. apud *Covarr. quæst. pract. d. c. 1. n. 10. versu Decima conclusio, Roman. consil. 44. n. 3. Besold. vol. 2. consil. 4.*

QVÆSTIO XII.

JCTIONEM ALIENAM VIOLANS QVO PACTO PUNIATUR?

EX sacri Constitutione Imperii de pace publicâ servandâ & illam sanctam Imperatores promulgarunt de non turbando alterum in suâ Jctione aut possessione, quò saluberrimo & ad pacem publicam servandam utilissimo Edicto nihil majus, nihil sanctius, inveniri potuit. Sicuti verò hoc mediò religiosissimo, ejusmodi ex omni colluvie collectis portentis, perque petulantiam ac temeritatem tranquillitatis publicæ quasi capiti insultantibus, omnis ansa & occasio videtur sublata; ita temerarii
repe-

reperiuntur non rarò, qvi nefariò ac impio aufu violare dictam sanctionem haud erubescunt. Quare rectè ab Augustissimo Principum *Maximiliano Primo Anno 1495.* poena gravissima in alienæ possessionis turbatores dictata: fractæ videlicet pacis *Treutl. d. 3. thes. 11. v. 1. lit. B. Wesenb. in §. h. tit. n. 13.* quæ secundum Constitutionem Caroli V. Monarchæ, in quò DEUS hominesqve omnia excelsæ felicitatis ornamenta contulerant, bannò imperiali, quò delinquentibus igni & aquâ interdicitur, ita ut à nemine in Clientelam, fidem & amicitiam recipi, ab omnibus verò impunè tam in Personâ, quàm in rebus offendi possunt *Ord. Camer. part. 2. tit. 9. §. So iemands/ & bonorum publicatione punitur.* Ut autem hæc actio competat, tria potissimum requisita necessariò intervenire opus est, 1. Vis publica *text. in L. 2. & L. seq. ff. Quod met. caus. 2.* Vis armata, quæ fit hominibus coadunatis vel armata manu *mit gewehrter oder gewaffender Hand/ L. 2. & L. 1. §. hoc interdictum. ff. de vi & vi armata. 3.* Dolus malus ut vis fiat armata manu, dolo malo & destinata voluntate *Celeberr. Dn. Carpz. p. 4. constir. 13. defin. 2. n. 6. 7. 8. Andr. Gail. Lib. 1. obs. 3. & alii.* Quin etiam Officiales, si utriusqve Jctio certo territorio cohæret, extra illud eam exercere nequeunt, ut in specie scriptum reliquit *Johan. Zanger. de except. p. 2. n. 160. & seq.* Und ist rechtens/ daß die Jctiones nicht confundiret/ noch dem inferiori in seinem Gerichte durch den superiorem Eingriff geschehen sol/ *Albert. Brun. consil. 27. incip. viso processu col. pen. v. 5. quia certum est. Roland. à Valle consil. 1. n. 50.*

n. 50. & consil. 16. n. 13. Jctiones non esse confunden-
das dicunt *L. nemo. 4. C. d. Jction. Gail. 1. obs. 119, n. 2. Can.*
pervenit 39. 11. q. 1. fin.

QVÆSTIO XIII.

UTRUM PRÆTER IMPERATOREM
ET ALII MAGISTRATUS MERUM
IMPERIUM HABEANT?

Merum imperium olim in terrarum Reginâ,
mundi miraculo, in quo Natura velut in com-
pendiô repræsentavit, quicquid ubiqve esset ma-
gnum & invidendû, jam verò tristi florentis fortu-
næ teatro, Roma sc. habuisse Præfectum urbi, in pro-
vinciis verò Proconsules & Præsides, testantur *L. 1. in*
pr. ff. de Præf. urb. L. 7. §. 2. L. 9. de offic. proc. L. 6. §. 8. de offic.
præs. Treucl. d. 3. v. 1. th. 6. Rebus postea Qviritû indies
crescentibus, facultatibusqve in immensum erectis,
consultum putarunt, ut uni soli universa imperii cu-
ra committeretur. Sed sicuti Naturâ comparatum,
ut rebus omnibus insit quidam orbis, ita ut ea fermè
qvæ ad summum perducta sunt, rursus ad infimum,
velocius multò, qvàm ascenderant relabantur; Ita
eorundem rebus in deterius datis, imperium ad nos
devolutum tandem est. Hoc in præsentiarum
perstans, quod toti ferè orbi Leges præscripsit, an-
gustis proh dolor! hodiè cancellis includitur, cujus
pars partim pactioibus, partim derelictione in alia-
rum Gentium ac Regum potestatem transiere, de
qvibus

quibus plur: *Leonh. Wurfbain. in Relat. Histor. & D. Lindenspur. in tract. de Famil. illustr. orig. & mutat. c. 7.*
 Ut ut verò sit, tamen adhuc de hoc Imperiò anxie discipatur hæc quæstio: Utrum Imperator solus, an & alii Magistratus merum imperium habeant? Celebratorem hanc controversiam facit quæsitum, quod ab Imperatore Heinrico Lucenburgico, Lothario & Azoni ejusdem temporis Jctis præstantissimis, propositum fuit, quibus sibi invicem haud cedentes ex singulari fervore & sponfione eam propter dirimendam Imperatori tradidère equum, cujus gratiam captans Lotharius, solum Imperatorem merum imperium habere, respondit, Azo contra in Imperatore, tanquam fonte principali, residere quidem imperium, sed ab hoc in reliquos Magistratus tanquam rivulos derivari. Quò casu etsi Azo factis dixerat æquum, nihilominus alter à Cæsare abstulit equum, sicuti querelatur ipse *Azo in summ. Cod. de Jction. n. 17. Rationes vid. ap. Duaren. ad L. 3. de Jction. & Gudelin. de jur. noviss. lib. 5. c. 13.* sed discernenda tempora veniunt. Aut enim de jure tantum Civili quæritur, aut, quod tempore controvertentium obtinuit. Priori casu certissima verissimaque Lotharii sententia fuit, quia Magistratus olim judicii publici duntaxat habuit exercitationem, ex singulari quidem & speciali Populi vel Principis indultu, adeoque non jure propriò *L. 1. de off. ejus. arg. L. 5. h. tit.* Posteriori verò Azonis sententiæ (non benè tamen à se ex jur. Rom. confirmatæ) subscribo, quia id tempestatis mutatâ jam dudum Reip. formâ Principes,

D

Proce-

Proceres, Statusque Germaniæ propria jura Majestatis vel Regalia, quæ territorialia dicuntur *Lands-Ubrigkeit / sonderbare Hoheit / und Oberhoheitigkeit /* jure hæreditariò, propriò, & quasi autocraticò usurpare, sicque ipso prioritatis & præminentiae jure non minùs imperium merum in suis habuerunt territoriis, quàm ipsissimus Imperator in toto antehac imperiò. *Sutholt. aphor. 404. Hillig. ad Donell. L. 17. com. 8. Lit. N. N.* & hoc sole meridiano clariùs apparet, quod tantam prærogativam & dignitatẽ Octoviri in suis territoriis habeant & possideant, quantum Augustus Imperator olim tenuit, posseditque, quod universis cognitum perspectumque.

QVÆSTIO XIV.

AN COMMISSARIJ HABEANT JUS
MULCTAM INDICENDI?

Jurisdictione & potestate de causâ litigiosâ cognoscendi concessâ Commissariis, semper eò intendant, ut formam & tenorem præcisè commissionis observent, nec fines excedant *Famiger. Dn. Carpz. p. 1. const. 1. d. 12. n. 7. & p. 1. c. 1. d. 17. n. 1. Andr. Gail. obs. 35. n. 2. & 3.* ac ipsis de rebus & causis in commissione haud expressis judicare non licet *d. Dn. Carpz. p. 1. c. 1. def. 17. Jason. in L. à Divo Pio 15. ff. de re judicat.* Quod tamen fallit in connexis & accessoriis, ut partes litigantes citare, punireque contumaces, super usuris, interesse, & fructibus pronunciare. Propositò in Themate pro negativa sententiâ quidẽ faciunt ea, quæ in
simili

simili specie tradit *Bocer. disp. 37. Class. 6. th. 3.* quæ tamen omnia nō de Commissariis, sed Arbitris accipienda. Affirmativæ verò applaudit *L. 2. ff. de Jctio.* Si tamen mulctæ indictio ipsam concernat causam, nec Commissarius ejus terminos egrediatur: Cum nunquam sine modicâ coërcitione soleat dari Jctio teste *Cardin. Seraph. decis. 1222. n. 4. & Laurent. Ursellio conclus. Legal. 137. num. 37.*

QVÆSTIO XV.

AN MERUM IMPERIUM IN DEFUN-
CTORUM CADAVERA EXERCE-
RI POSSIT?

DOctores hîc distingvūt: an mortui sint ante condemnationem an post eandem. Si ante condemnationem iterum distingvunt, aut Naturâ ipsâ, nullâ violentiâ adhibitâ, aut vi adhibitâ mortem obierunt. Si Naturâ ipsâ, pœna omnis extingvitur, & locum non habet, merumq; imperium in defunctorum cadavera exerceri non potest *L. 3. C. si reus vel accus. mort. f.* cum morte ejus crimen cum pœna sit extincta, nisi quis reus fuerit Criminis Majestatis *L. ult. ff. ad L. Jul. Majest.* si verò vi adhibitâ decesserunt, & sibi ipsis mortem consciverunt, pœna non extingvitur *L. 5. C. eod. L. 2. C. Qui test. fac. poss.* Si rei per condemnationem, puta supplicium, vitâ functi fuerint, tunc eorum cadavera non aliter sepeliri possunt, quàm si fuerit petitum & permissum. Potest tamen nonnunquam nō permitti propter atrocitatem cri-

D 2

minis,

minis, ut si Majestatis causâ fuerint damnati *L. 1. ff. de cadav. punit. plur. Treutl. d. 3. vol. 1. th. 5. lit. b. Angel. ad L. 2. C. Quib. test. fac. permiss. Br. ad L. un. C. Ne ex delict. def. n. 11.*

QVÆSTIO XVI.

AN QUI SEMEL CONSENTIT IN ALTERIUS JURISDICTIONEM, POENITERE, ET AD PRISTINUM REVERTI QUEAT?

Consentire Jctis vocatur, cum duorum voluntates in unum concurrunt, utroque approbante & sciente *Conna. l. 6. c. 1. num. 4.* ac quadruplicem faciunt consensum, negligentiae scil. consilii, cooperationis & auctoritatis sive defensionis, quò primo & secundo consentiens minus punitur ac faciens, æqualiter tertio, plus verò quarto, de *quib. Gl. optima in cap. 1. de offic. d. leg. sup. verb. pari poena.* Propositio in dubio omninò consentiens in alterius Jctionem, quia consilio fecit, ponderatis tamen contractus substantiis, ad pristinum reverti nequit. Quod effatum nihilo minus dubium reddit *L. 18. ff. h. & L. penult. Cod. de pactis*, quæ negat contra pactum ulli dari ad priora regressum, quod tamen ille textus affirmare videbatur. Bartol. quidem & alii veterum statuunt, Imperatorem loqui de eò, qui subjectus quidem est Jctioni alicujus, sed ex singulari & speciali privilegio eam declinare potest, tunc enim cogi stare ejusmodi pacto, aliàs facile res reverteretur ad jus pristinum *L. si vivus. S. pactus ne peteret ff. de pactis. Africanus ex adverso L. si*

L. si conven. ff. de Felion. interpretatur, eum non cogendum stare pactis, qvi juri communi non sit subjectus, ejus Magistratus Jctioni, cui pacto se subjecit. Sed ea sententia mihi apparet, utpote receptior, testibus Covar. in c. Quamvis de pact. l. 6. p. 1. §. 4. n. 7. & Seraphino. privil. 74. n. 165. motis eò argumento, quod juramentum obliget jurantem, omnibus post habitis regulis juris. Sed jurans semel obligetur, quod vinculum iniquitatis esse non debet 22. quæst. 4. c. inter cetera, ac omninò servandum, quod absqve dispendio salutis æternæ servari potest c. cum contingat de jur. jurand. Rectè proinde ab eâ pactione eum recedere non posse. Nonnulli distinguunt, an anteqvam Dominus aditus sit, an verò post à conventionem resiliat, anteqvã aditus sit, pacto stare non cogatur, post verò aditum non possit resilire, ne Domini autoritatem illudere videatur. Alii discernunt inter conventionem nudam & vestitam, seu contractui & instrumento adjectam, de priori accipiendam dictam L. 18. ff. b. de posteriori verò L. penult. C. de pactis, quam interpretationem inter alias veniorem & meliorem existimo.

QVÆSTIO XVII.

MERUM IMPERIUM AN ETIAM AD
BRUTA ANIMALIA EXTEN-
DATUR?

NEgant nonnulli hóc moti argumento, quòd quæ ratio sit furiosi vel extra se positi, eadem quoque conditio vel magis sit bruti rationis expertis. Et quemadmodum furiosus ratione non utatur,

D 3

ita

ita quoque brutum omnibus mentis facultatibus destitutum, nullo pacto delinquere vel puniri possit. Sed affirmat thema nostrum *I. text. expr. Exod. 21. & 28.* Ubi cavetur, si bos marem aut foeminam ferierit, ut moriatur ut lapidibus obruatur. *II. Levit. 20. §. 16. III. exempla & rerum judicatarum auctoritates.* Sic *Guido Papa q. 234.* testatur, se vidisse porcum suspensum, qui puerum interfecerat, ac similiter porcum qui rupto stabulo ascenderat in vaporarium relictoque domi soli infantulo faciem & ambo brachia, ex quo paulo post decessit, admorderat, interfectum, ob hoc *Annales Alsatici* subjiciunt. Huc spectat quoque *criminalis Constit. Caroli V. in art. 116.* So ein Mensch mit einem Viehe/ Mann mit Mann/ Weib mit Weib/ Unkeuschheit treiben/ die haben das Leben verwürcket / und sollen der gemeinen Gewohnheit nach mit dem Feuer vom Leben zum Tode gerichtet werden. Utile quippe est, etiamsi bruta nullo modo Legum capacia, non possint delinquere, ad tollendam execrandæ rei memoriam, ut quæ homines occidere, vel aliud grave delictum commiserunt, è medio tollantur. Tali enim flagitio contaminata indignam refricant facti memoriam. *Plur. D. Aug. 15. q. 1. fanciens,* quod mulier, quæ accesserit ad omne pecus, & vult ascendi ab eò, & mulier & pecus morte moriantur. Et sic bruta animalia vel de delicto alicujus hominis participant, & sic puniuntur ad abolendam criminis memoriam *Levit. 20. vers. 15.* Vel sola delictum & noxiam committunt, & puniuntur, ut minuat vindicta dolorem *Exod. 21. §. 28.* Et quia in jure Civili de

hoc

hoc themate nihil est expressum, merito exemplis & textibus sacris contenti sumus.

QVÆSTIO XVIII.
 RESTITUTIO IN INTEGRUM AN
 MIXTI IMPERII?

MInorum & mulierum magnam esse fragilitatem, adeoque facile decipi lædiqve præsumi affirmant, L. 1. & L. 3. §. si quis in f. ubi gloss. ff. de minor. L. 1. C. Qui & adversus quos, junct. L. 2. §. 2. L. 32. pr. ff. ad Sc. Vellej. Proinde saluberrima iisdem relicta media, quò pacto ad pristinam conditionem pervenire queant, & quidem per redintegrandæ rei actionem ut sunt verba Jcti Pauli 1. Recept. sentent. 7. Hæc disceptatur, utrum mixti imperii sit, nec ne? Negant nonnulli, quòd omne imperium constat in coërcendo; restitutio verò in integrum non in coërcendo, sed cognoscendo consistat, adeoque potius Jctionis simplicis esse, quàm mixti imperii: sed respondeo ad hoc, non omne imperium in coërcendo consistere, mixtumqve esse duplex, unum, quòd Jctioni coheret, alterum, cui Jctio inest; illud in sola positum est coërcitione, malosqve coërcere potest; hoc per se ut principale consideratur nec Jctionis deferendæ causâ est comparatum, & ad hoc, non verò posterius in integrum restitutionem referendam probat expr. L. 26. §. 1. ff. ad Municipalis. ubi Magistratus Municipalis prohibetur in integrum restituere, propterea, quia restitutio magis imperii est, quàm Jctionis Pac. cent. 2. q. 100. quæcunqve verò magis imperii sunt, quàm

quàm Jctiois, Magistratus Municipalis facere non potest, ut bona rei servandæ causâ jubere possidere *d. L. 26. nec obstat L. 1. ff. de dam. inf.* cum res damni infecti celeritatem desideret, & propter periculosam dilationem Prætor Magistratibus Municipalibus delegandum illud putet, qui tunc & mittere in possessionem, ac in integrum restituere, & reliqua omnia facere, quæ ipse Prætor non prohibetur: Sed respondendum, hoc non peragunt ex proprio jure suæ Jctiois, sed potius vi ex jurisdictione mandatâ proveniente. *Muscorn. de Jctio. n. 161. & seq. Treutl. dis. 3. v. 1. rh. 4. lit. c.* qui restitutionem in integrum magis mixti imperii esse, rectissimè docent.

QVÆSTIO XIX.

RECTORES ACADEMIARUM, QVALE IMPERIUM HABEANT?

TAntam Rectorum amplitudinem & magnificentiam existimavit per totum terrarum orbem celeberrimus monarcha Carolus V. ut cum Lovanii esset, locò cedens, Rectori latus tangeret, eâque re Imperatoriam Majestatem nihil lædi arbitratus est. Unde more receptum est, ut in Academiis exteri, si qui adsunt, Principes, præcedant cum Rectore, Comites, Barones, Episcopi, & Abbates eundem proximè sequantur. Regia hæc fermè est dignitas & eminentia, ab Imperatoribus & Pontificibus, multis ab hinc retrolapsis seculis, indulta & concessa, quod per sceptrorum & purpuræ usam evidenter probatur. *Middendorpius de Academ. Lib. 1, c. 3.* inter alia, pri-

privilegia autem maximè insigne illud est, quò Studiosi ab Jctione Magistratus Laici vivunt exempti. *Auth. Habita. C. Ne filius pro patre.* Quod ipsum an de civili solùm, an de criminali simul intelligendum, ambigunt Dd. Pro utraqve tam Civili, quàm criminali pugnat *Matthias Stephani in tract. de Jction. lib. 3. part. 2. c. 12. n. 109. Ful. Clar. S. fin. quæst. 35. n. 23. Christoph. Kupn. ad Auth. Habit. p. 17. n. 7. vers. litem. Horat. Lucius de privilegiis scholarium privileg. 69. Thom. Michael. tract. de Jction. th. 96. lit. B.* ubi scribit, dispositionem *Auth. Habita* generalem esse, adeoqve omnes sub se comprehendere species. Et absurdum esse, ut in ejus salutem & existimationem valeat quisquam proferre sententiam, de ejus nulla re pecuniaria cognoscere possit *L. ult. C. de agent: in reb. lib.* Pro hujus privilegii observantia, extare illustre præjudicium Lutetiæ Parisiorum, ubi præfectus urbis duos scholares, suâ sententiâ damnatos & suspensos, de furcâ tollere, defunctos osculari & honorificè sepelire coactus est, uti refert *Denaisius de jure meri imperii sub. C. de object. dissolut. n. 3. & plures rationes adfert Stephani d. loc. alleg. n. 101. ad n. 116.* E diversò Recto-ribus Academiarum merum imperium negat *Muscorn. de Jction. n. 76.* quod vocabulum litis, quò utitur Imperator in d. *Auth. Habita* in jure nostro tantum significet civiles causas, non verò criminales etiam, quem sequitur *Petrus Heigius part. 2. q. 11. n. 13.* Ubi in Jurisprudentiâ Romanâ nullibi forum privilegiatum ad causas criminales produci existimat, reatu omnem dignitatem excludente *L. 1. C. ubi Claris-*

E

simis

simi, cum quibus consentit Jacob. Cujac. in comm. Cod. ad Tit. Ne filius pro patre. & ex veterib. Angel. Castrens. & Sichard. ad Auth. Habita idem tradidere, videturque hæc sententia in foro frequentior. Unde videmus Academias plerasque quæ Ictiorem criminalem habent, eam, tanquam singulari privilegio superbire, & non tam Juri Scripto, quam Clementiæ & favori bonorum Principum acceptum referre. Sic Johannes Brabantiae dux, Academiam Lovaniensem instituens, Pontificis monitu, omne jus suum in Senatum Academicum contulisse dicitur, liberamque in Studiosos ei concessisse potestatem. Hinc ibi Rector omnia jura in Scholasticos exercet, causas audit, decedit, mulctat, & grandioris & insignis criminis convictos vel capite punit. Similiter ac Academiam Tübingensem amplissimis privilegiis, ac omnimodâ Ictiione, & mero mixtoque imperio præditam, quò jure præter Lovaniensem in Brabantiam, Griphisvaldensem in Pomeraniâ, Ingolstadiensem in Bavariâ nullam aliam gaudere, tradit Christoph. Besold. in dissert. de jure Academ. Ubi an Lipsiensem consulto, an ex ignorantia prætermiserit, scire non possum. Certè huic Philuræ nostræ non solum Ictiorem criminalem in Studiosos suos competere, sed eam quoque præ aliis hoc singulare habere, quòd tam super delictis in loco studii comprehensos, quam ad tres diætas criminis ratione captos à Magistratibus loci advocare, & causæ cognitionem suscipere possit, ex privilegiis Academiæ concessis compactatisque inter eandem & Senatum urbicum erectis, longævaque

vaq̄ve observantiã confirmatis probat *Fridericus Pensoldus in add. ad decis. Coler. part. 2. decis. 296.* Ubi hanc prerogativam optimis rationibus suffultam & Serenissimæ Stirpi Saxonix maximè laudabilè esse dicit, quòd scientiæ & literarum studia sic clementer protegantur, & comiter tractentur. Tenorem compactatorum exhibet idem *Pensold, part. 2. decis. Col. p. 349.*

QVÆSTIO XX.

REVISORES CAMERÆ QVALEM JURISDICTIONEM HABEANT?

HAud inter postremas Augusti Sacriq̄ve Imperii Heminentias & dignitates, ponendum celeberrimum Cameræ Imperialis Judicium, das *Keyserliche Cammer-Gericht* / vel Summi Principis Consistorium, item Majestatis suæ judicium. Cum enim, quondam litigantes Cæsarem & Aulicam ipsius Curiam, den *Reichs-Hofrath* / ingentibus impensis, multisq̄ve laboribus seq̄vi necessariò cogentur, atq̄ve sic saluberrima justitia, Imperatore bellicis aliisq̄ve gravissimis expeditionibus occupatò, minùs commodè administraretur, à Maximiliano Primò cæterisq̄ve Imperii Proceribus, Camera hæc Anno 1495. ordinata fuit, ubi Proceres, & Electores, quin & ipsissimum caput, pro rerum differentia & qualitate, litium fines expectare coguntur. Tantam proinde præferet dignitatem, quantam in Galliã Parlamenta, in Italiã Rotæ, ac in Hispaniã Suprema Concilia repræsentant. *Reink. 2. Cl. 2. c. 14.* Pro ritè verò administrandâ juris æquitate, certi Revisores

constituti sunt, qui à Statibus Imperii, quorum sumptibus Camera fovetur, ad hoc deputati sunt, ut ad instantiam ejus, qui se gravatum Cameralium sententiã queritur, acta revideant, ac sententiam à Cameralibus latam confirment, vel reforment, dicti à revidendis actis, de quò in *Ord. Cam. part. 3. tit. 53.* Quali verò utantur Jctione Dd. ambigunt. Revisores ordinariam exercere posse negat *Treutl. 1. d. 12. th. 3. lit. b.* Affirmant verò *Gail. 1. obs. 154. Bender. de Revis. Cl. 4. n. 6. Reink. 2. Cl. 15. n. 17. Hunn. ad Treutl. d. l. b.* hanc potissimum ratione moti, quòd à Lege Imperii, Imperatoris, communiq; Statuum placito ordinariã Jctionem accipiant, neq;ve circa causas singulas, sed circa causarum Universitatem omnium, quæ in Camera decisæ sunt. Nonnulli distinguunt inter Visitatores, & Revisores. In visitatione annuã ipse Princeps, quẽ ex Visitorib; ordo tangit, sub pœnã aliquot aureorũ adesse, vel si adversa sanitate impeditur, aliũ Principem in persona substituere tenetur *d. t. 50. §. 1. Bertr. de Com. n. 13.* In revisione ex adversò, nemo ex Imperii Proceribus adesse tenetur, sed viri insigni præ cæteris prudentiã pollentes, ad revisionem mittuntur à Statibus, qui Commissarii vocantur *dict. tit. 53. §. dar- auf sollen.* Et hos delegatos esse, adeoq;ve delegatam quoq;ve habere Jctionem, Sole meridiano cuivis apparet clariùs.

QVÆSTIO XXI.
AN DOMINUS FEUDI, VASALLUM,
EJUS QVE SUBDITOS, COLLE-
CTARE POSSIT? Coll-

Collecta apud Fridericum. Imperat. in *Auth. item nulla. C. de Episcop. & Cler. & Ciceronem* svadae Romanae principem excellentissimum *lib. 2. de Orat.* videtur esse pecunia, quae à pluribus colligitur, posset eò & nomine censerì collatio, quae à convivis in coenam aut prandium confertur, sive pecunia sit, sive penuria *Turneb. lib. 3. Advers. c. 6.* Propositò in dubio prius negatur, quòd Dominus Feudi vasallum collectare possit. Collectis enim non nisi subditi onerari possunt, jusque Vasallagii subjectionem non operatur *C. ceterum 5. de jud. Clem. Pastoralis de sent. & re judicat.* Deinde vasallus, Domino feudi, ratione feudi obligatus est ad servitia, iniquissimum proinde foret collectis duplici quòque adeò gravari onere, quod in argumento publicorum munerum maximoperè est cavendū *L. honorem 10. ubi Gloss. ff. de muner. & honor.* Hinc licet in Conventibus Provincialibus Civium bona onerentur, tamen Feuda Nobilium in Decretis nominatim excipi videmus *Petr. Heig. part. 1. quæst. 18. n. 22.* Sanè in extraordinariis, & quae ratione belli aut subitanæ publicæ necessitatis causa indici solent, nec hos immunes esse probat *Heig. d. l. n. 28. ex Decret. Comitior. de Anno 1495. in pr. §. Alle und iede Menschen / item de Anno 1500. §. Auch sollen die Ritter und Knechte des H. Reichs de Anno 1542. §. Und nemlich sollen alle / r. id quòque non modo Cameralis Judicii usu, sed & consuetudine totius Germaniæ receptum ex *Mynsing. lib. 4. obs. 70.* refert *Heig. dicto locò.* quem per omnia sequitur Seculi nostri *Sulpitius Bened. Carpz. part. 3. Constit. 28. defn. 19. circa. finem.* Posterius verò, quòd Dominus feudi,*

subditos Vasalli collectare possit, affirmatur, quia ipsi jus collectandi, jure prioritatis regalis competit, ac impositio collectarum non est Jurisdictionis, auch den Gerichten nicht anhängig/sondern der hohen Obrigkeit und Regalibus gehörig. *Knich. de jur. territ. cap. 3. num. 310.* Princeps verò concedens alicui Feudum, semper sibi integram ac inviolatam Superioritatem reservare præsumitur, ut pluribus in *Qvæst. 2. supra* demonstratum: Vasallus verò, subditis suis & hominibus collectas imponere non potest: *Besold. de Jurisdic. imper. qvæst. 20.* ac respectu Jctionis à Domino sibi reservatæ, subditi manent Domino Feudi subiecti, illiq; in locò feudali habitantes Vasallo subiecti sunt quoad Jctionem sibi concessam, Domino verò respectu Jctionis regalis & sibi soli reservatæ *Besold. d. qvæst. 20.*

QVÆSTIO ULTIMA.

AN PER TRANSACTIONEM PRAGEN-
SEM, UNIUSCUIUSQUE STATUS JU-
RISDICTIONIO, AC CONditio, SAL-
VA AC INTEGRA RELICTA?

Hujusmodi sancta & arcana in publicum trahere
Hexamen, periculosum quidem scio, & piaculum
duco. Sed adsit modestia, & de Principis Majestate
reverens sermo. Fruimur scl. hac libertate, quâ licet
scire quid sumus, licet exercere quod scimus. Effræ-
nata enim cujusvis dicendi libertas Reip. pernicio-
sissima semper extitit. Quare & ego coronidis locò,
ut infans, moderatè de hac materiâ dicam. Meritò
quis


quis succenseat malevolis ex omni colluvie collectis
 portentis illis, qui superioribus annis, hanc sanctam
 pactiōem literis & verbis, quam tueri eos oportebat,
 examinare, lacerare, inter utriusque Religionis
 Proceres disidia ferere, & per dictam omnia jura,
 privilegia, & statuta oppressa, execrando, ac impiō
 ausu probare, non erubuerunt. Inter quos primas
 duxit partes, pessimus Jesuita quidam, qui de hōc
 pacto ad Patres Lotharingiæ sequentia exaravit:
*Latet ubiq; anguis in herba: nihil concessum, nihil conclusum,
 quod prius à Nostris non fuerit ponderatum, & in recessu ali-
 quid non habeat. Considerate, quantum Ecclesiæ accedat;
 Hōc pacto non solum hæresis à Bohemiâ, Austriâ, & Moraviâ
 funditus exul fit, sed & Protestantium jura & privilegia coar-
 ctantur. Principi Palatino nulla venia indulgetur, & qui pro
 libertate se pugnare profitebantur, jam perduellionis crimen
 incurrunt, & ejus veniam deprecari coguntur &c.* Scilicet
 non veretur hic homo in publicum evomere, Pacifi-
 catione eâ Protestantium jura ac privilegia fuisse coar-
 ctata. An ergo non advertit, vel advertere noluit
 impius calumniator, 1. non solum Imperatoris Edi-
 ctum, de restitutione bonorum Ecclesiasticorum d.
 6. Martii. 1629. hac Pacificatione rursus abrogatum,
 verum etiam 2. pleraque Protestantium gravamina
 in Comitibus Ratisbonensibus, 3. Pacem Religionis
 & Regionis stabilitam: 4. *Beyderseits Religions-
 Verwandten/ werden bey ihrer Religion/ Land/ Leuten/
 Herrlichkeiten/ Rentz/ Zins/ Zehenden/ unbeschwert gleich-
 fals gelassen/ und ihnen dieselbe unverweigerlich gefolgt/
 auch wird in der That und sonst in Ungut wider dieselbe
 nichts*

nichts vorgenommen. 5. Libertatem Germaniæ red-
 ctam. 6. Leges Fundamentales confirmatas. 7. O-
 dia extirpata. 8. Patriam tranquillatam. 9. Pacem
 Religionis corroboratam. 10. Salutem singulorum
 intentatam. ac 11. Status Augustanæ & Pontificiæ
 Confessionis reconciliatos. Quibus omnibus
 certè jura & Jctiones Principum, ac Imperii Sta-
 tuum, non imminutas, non coarctatas, sed egregiè
 auctas, & pristino vigori restitutas, ac nunc acceden-
 te Pace Universali, quam Divina Majestas diutissime
 florentem conservet, plenè consolidatas, æquus o-
 mnis mecum Censor censebit. Et hæc de Jctione a-
 liisqve indè enatis dubiis proposuisse sufficiant. Plu-
 ra quidem, nobilissima hæc materia, & accuratiora
 magis postularet, de quibus quoq; differendi copia
 foret: Verùm ob temporis angustiam, materiæ diffi-
 cultatem & prolixitatem, diutius hisce immorari
 non licet. Fragilis enim ingenii ratis, truci huic ac
 turbulento Pelago sese committens, innumeras dif-
 ficultatum fyrtes, eorumqve Syrenes prudenter ra-
 rò eludere, & ad portum feliciter appellere valet.
 Qvare, Amicissime Lector, præsentis Qvæstiones
 æqui boniqve consule, ac gratum accipe hunc
 qvalemqve laborem. Pro qvò grati-
 as depromo immortales

IMMORTALI DEO!

VOM







29.

DEO BENEDICENTE,
&
Nobilissimo Jctorum ordine annuente,
THECASSELE-
CTIORUM DE JU-
RISDICTIONE QVÆ-
STIONUM

Succurrente

Viro Magnifico & Jurisconsultissimo

DN. QVIRINO Schacher / Anteces-
fore celeberrimo, Potentissimo Saxon. Octoviro,
ab Appellat. Consiliis, Consistorii Eccles. Lips. Adsess.
gravissimo, nec non Facult. Juridicæ Seniore meritissimo &c.
Patrono observanter colendo,

conficiente

GOTFRIDO ERICO BERLICHIO
LIPSIENS.

publicè in Almâ Patriâ exponebatur d. 16. Au-
gusti, Anno M. DC. LV.

Typis RITZSCHIANIS.

Leon. Schacher